

turbamur et nimio zelo accensi modum in verbis excedere videmur, non statim iudicandi sumus propter festucam velut illi, qui in oculo magnam gerunt trabem odii, quia forsitan non totum quod imprecamur evenire optamus, hoc solum intendentes, ut qualemcumque per occasionem
 5 liberemur ab importunis hominibus salva illorum vita vel anima, quamvis aliter imprecari videamur.

18 Quid multa? Tandem post diutinam vexationem illud consilium animo incidit ^{a)}, quod unus amicorum beati Iob dixit, recte quidem si personam prudenter considerasset, cui dixit. *Voca ergo inquit si est qui respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere* ¹⁾. Mortua est enim
 10 uxor illius, cuius opus vel ædificium maxime nos contristabat ²⁾, et per hanc (ut reor) occasionem mitius cepit agere, quatenus mecum eiusmodi placitum iniret, ut domum, quam ædificare ceperat subter turrim, quam ut suam reædificaverat, nobis cederet partim pro anima sua, partim accepta pecunia. Nam domus illa distribuendę eleemosynę videbatur
 15 accomoda, utpote secus introitum portę castelli sita. Cogitavi ergo tam diu vexatus, ut *ad aliquem sanctorum* me converterem, videlicet construendo in honore illius oratorium super portam eandem, ita ut contiguam haberet predictam domum hospitalem. Converti autem me ad beatum Laurentium, nimirum *aliquem sanctorum* et ad hanc partem
 20 speciali gratia satis idoneum secundum finem suum. Finis enim eius hic fuit ³⁾, quod sanctorum pauperum pedes lavit et lintheaminibus ^{b)} extersit et de thesauris vel facultatibus ecclesię, quas dispensandas susceperat, fideliter eis ministravit, mox gloriosum peracturus martyrii triumphum; unde et memoria eius in benedictione est cum istis venerabilibus anti-
 25 quioris scripturę verbis: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi* ⁴⁾. Hunc ergo congruum ac fidelem ratus fore tutorem ieci quantocius futuri oratorii fundamentum; et prout tempus permisit — instabat autem asperitas hyemis ⁵⁾ — structura fornicibus erecta usque ad æqualitatem portę surrexit, quam ut a nivibus pluviisque
 30 hybernis ^{c)} protegeretur, protinus levi materia et stipula oportuit cooperiri. Eiuscemodi tecturę eventus, fratres mei, qualis extitit! Cum enim supradictum foris extra muros grassari cepisset incendium et hi, qui

18 a) incendit (*A*, emendiert) *M* b) lintheamentibus *J* c) hibernis *M*

¹⁾ *Iob* 5, 1 ²⁾ *Graf Adolf III. von Berg, Vogt von Deutz*, s. o. *S.* 425 ff.

³⁾ *Passio s. Xisti papae*, s. *B. Mombrilius, Sanctuarium*, nova ed. *Solemensis*. 2 (1910) 650; *AA. SS. Aug. II*, 140 f. ⁴⁾ *Ps.* 111, 3 und 2. *Cor.* 9, 9; *Epistel und Introitus der Vigil-Messe am Laurentiusfest* ⁵⁾ *Noch im Spätherbst 1127?*